



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 4. Officia humilia libenter exerce.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

eadem imperat. Isaias nudus incedit, Aaron verò infulatus: David ascendere iubetur ad solium; Jechonias descendere in caveam: Judith triumphando; Job putrescendo, lauream meruere. Oliva l. 4. Strom. §. unumquodque ante faciem suam &c.

### Ex Novo.

*Erant enim piscatores.* Matth. 4. 18. Nonne satis erat dixisse, eos piscari? plurimi sunt, qui piscantur; sed non sunt piscatores. Locus, ubi Christum expectare debes, & munus tuum, & officium. Diez conc. 3. in festo S. Andree Ap. cum dicitur: *Erant enim piscatores.*

*Vos estis sal terra &c.* Matth. 5. 13. Cur de iis non dicit Christus: vos estis sicut sal? quia tam imbibita, & velut intrinseca, debet esse ratio muneris in ministro, ut explicetur, non tanquam adjacens, sed velut quid transformatum in ipsamet natura, & esse rei. Sylveira hic c. 11. q. 2.

*Horà incensi.* Luc. 1. 10. Cum Zacharias ageret, quod sibi ex officio competebat; & populus clamaret orationibus in auribus Domini, apparuit illi Angelus Domini. Sim. Cals. l. 3. c. 1. hic. Quare apparet in templo? Hugo Card. apparuit Angelus illi exequenti personam suam officium; ac pro populo oranti. Visione tantà, tantòque nuntio, dignus fuit; dum per se ipsum, & non alium, munus suum adimplevit: hoc enim Deo maxime est gratum. Sylveira hic c. 11. q. 13.

### §. IV.

#### Officia humilia libenter exerce.

*Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam.* Gen. 22. 17. Quid splendidius astris? quid arenis vilibus? quam procul à littore maris firmamentum cælorum est! & tamen Deus eosdem, & stellas esse vult, & arenas. Optat Deus in alumnis suis eam animi magnitudinem; quæ pro Christo, & summa aggrediatur, nec infima dedignetur. Vult te modo ad stare fabro, modo cum regibus considerare. Magos per stellam Deus vocat; sed ad stabulum: vult accedentes ad se, & sideri simul asuescere, & præsepi. Oliva l. 4. Strom. §. Multiplicabo &c.

*Gregem, ipsa (Rachel) pascere.* Gen. 29. 9. Tantum certe merebatur sedulæ custodis ovium humile officium, quod illi pater injunxerat, studiosè exequendo; quantum si aliud honorificentissimum munus obivisset. S. Laur. Just. de triumph. &c. c. 26. apud Deum interest; utrum quis præsit, an obtemperet. S. Greg. Naz. or. 9. quò vocatus est, in eo gradu quisque maneat; etiamsi alioquin præstantiore sit dignus: plus utique laudis habiturus ex eo, quòd præsentem gradum acquiescit; quam si eum quærat, quem non accipit. Did. Nifs. Pol. cæli. p. 2. l. 2. c. 1.

*Audite somnium meum, quod vidi &c.* Gen. 37. 6. Hac de causa factum puto, ut Josephi principatus modo in manipulis, modo

in sole, & altis, adumbraretur; ut scilicet, qui sideribus cingebatur, paleis stipari non erubesceret. Oliva l. 4. Strom. Multiplicabo &c.

*Puer autem erat minister.* 1. Reg. 2. 11. Quid agebat? adolebatne incensum ornatus stolâ? an sacco fordido ligna convehabat? ministrante, an lucernas, curabat? vertebat pavimentum, an consiciebat thymiana? in throno Dei nec Samuel attendebat munus varietatem; nec Spiritus S. ea distinguit. Servire Deo omnis est dignitas domus Dei; *erat minister.* Samuel hoc tantum expetebat, ut Domino ministraret. Quâ autem ratione nec scopas exhoruit? nec thuribula ambiit? audi: *puer autem erat minister in conspectu Domini.* Coram Deo videbat, ejusdem esse dignitatis ligna concidere, & gemmas concinnare: hac unâ Dei præsentis memoriâ hilaris, & impiger reddebat. Oliva l. 4. Strom. §. Puer autem erat minister.

*Lampades ejus lampades ignis.* Cant. 8. 6. Dei Spiritus ijs oblectatur, quibus delectatur & flamma: hæc non aurò, argentò, gemmis; sed stipulis, feno, lignò vilibus, nutritur. Ut intelligas: in te Dei spiritum non residere, si vilia refugis, & splendidis innutris. Oliva l. 9. Strom. §. Lampades ejus.

*Vade ad mare, & mitte hamum.* Matth. 17. 26. Cur hoc Petro mandatur? piscator erat. Sed si piscatore egebat, præstò erant filii Zebedæi. Cur ergo non Joanni, non Andrea, sed Petro, id munus delegavit. Ut suspicor: quia c. 16. 19. Petro: *tibi dabo claves regni cælorum.* Voluit Dominus in eadem manû, & hamum esse, & claves. Oliva l. 4. Strom. multiplicabo.

*Venit homo quidam dives ab Arimathæa.* Matth. 27. 57. Luc. 23. 50. *erat decurio, vir bonus, & justus.* Joan. 19. 8. *fuit Discipulus Jesu.* Marci 15. 43. *nobilis decurio.* Et quid hic dives, vir bonus, discipulus Christi, nobilis decurio, egit? nihil se indignum, dum *corpus Domini unxit.* Joan. 19. 38. 39. Sed cur Evangelistæ tam honorificis eum titulis ornant? Quia, si quando nobilis, dives, illustris, dici debuit; tunc certò, quando ad gloriam Dei hoc opus peregit. Et quoties Christianus quisunque tale quidpiam pro Deo facit; splendorem suum non obscurat, sed plurimum auget. Did. Nifs. D. Sept. §. 5. in domo Dei omnia officia illustria.

*Ut cognovit, quòd accubisset in domo Pharisei &c.* Luc. 7. 37. Non ad caput, sed pedes Christi, accessit. Quis nostrum postremum sibi locum, & munus, in Christi corpore, id est, Ecclesia, deligit? quis non aspirat ad caput, sublimia officia? quis non tabescit in imis? &c. Et quidem Maria caput aliàs unxit, sed longè studiosior in pedes fuit. *Super caput alabastrum effudit.* Matth. 26. 7. in pedes verò se ipsam profudit, eomam, vas, oculos, labia, capillos, unguenta infudit. Vide quanto se exhibuit pròiorena erga pedes, quam

quàm erga caput Domini. Oliva l. 9. Strom. §. ut cognovit.

*Operabatur: erant enim scenofaetoria artis.* Act. 18. 3. Et hoc miror, jam dignatum Dei alloqui & visionibus, non pertaxum officii sui; nec fastidite ostiarii munus; cui patuerant arcana Domini. Paulus in cœlum raptus non erubuit texere tabernacula. Oliva l. 10. Strom. §. Puer autem erat minister.

§. V.

#### De promotione ad officia.

*Tuleris super domum meam.* Gen. 41. 40. In Joseph non natalis, non genus; sed sola sapientia, respicitur. Sylveira in Matth. 25. c. 52. talenta distributa.

*Manum suam misit ad sortia, & digiti ejus apprehenderunt solum.* Prov. 31. 19. S. Bruno de laud. Ecclesie c. 5. t. 3. in hoc Eccle-

sia sapientia manifestatur, quæ tam bene cuncta disponit. Manum suam, id est, eos, qui fortiores sunt, & sapientiores; ad majora negotia mittit; talesque Rectores, & Episcopos, constituit. Digni verò fufum apprehendunt: quia illis minora negotia committit, qui imperfectiores, minusque periti. Did. Nis. D. 6. Epiph.

*Cui nomen erat Joannes.* Joan. 1. 6. Quare ante officium ponitur nomen Joannes? Joannes significat gratiam; & in ipso nomine Joannis, ut ait hic S. Thomas, significatur idoneitas, & sufficientia ad officium. Et antequam Evangelista scriberet ejus munus, voluit nobis aperire ejus sufficientiam: quia semper prius est consideranda. Sylveira hic q. 32.

Officium ab efficiendo dictum putamus, quasi efficium. S. Ambros. Eth. Chri. 1. 1. c. 8.

## TITULUS VII. OPERA BONA.

§. I.

### Figura, & Symbola.

#### 1. Manus.

*Psallam nomini tuo altissime.* Pf. 9. 3. Psallere est opus manuale: & per hoc intelligitur bona operatio. S. Thom. Aqu. hic.

*Omnes gentes plaudite manibus.* Pf. 46. 2. Cum sit consuetudo luxuriantium, elisis manibus personare, & in aurium jucunditatem per eas melos quodam sine officio sermonis exprimere; plausum istum spiritualiter debemus accipere; qualem & filii crucis potuerunt dicere, & nos oportet audire. Plaudunt ergo manibus, qui elemosynas faciunt, qui agrotis pro miseratione serviunt, qui aliquod mandatum probis actionibus operantur. Cassiodorus hic.

*Salvavit sibi dextera ejus.* Pf. 97. 1. Sæpius diximus, manum actionem dicere; dexteram verò bonam actionem. B. Theodoretus hic; & addit: dicit autem hominum salutem ejus potentia opus esse: immensam autem benignitate utens suum quæstum hominum vitam ducere.

*Levavi manus meas ad mandata tua, qua dilexi.* Pf. 118. 48. Levare manus significat bonis operibus occupari. Cassiod. hic.

*Tetigit manum ejus.* Matth. 8. 15. Non tangit aurem, non tangit frontem, non tangit aliam partem corporis; sed manum tangit. Propterea enim febricitabat, quia bona opera non habebat. S. Chrysost. hom. 6. in Marcum.

*Accepit eum in ulnas suas.* Luc. 2. 28. Ad salvationem nostram non sufficit videre Christum, per fidem, sed ipsum recipere oportet in manibus per bona opera. S. Vincent. Ferr. l. de Purif. B. V.

*Lucerna ardentis in manibus.* Luc. 12. 35. In manibus Sanctorum ipsa bona opera sunt lucerna. S. Chrysologus l. 24. Lucerna in manibus opera bona sunt, accensa igne veritatis, & charitatis. Sim. Casl. l. 6. c. 30.

*Date annulum in manus ejus.* Luc. 15. 22. S. Hieron. annulus est signaculum similitudinis Christi: hoc signaculum in manu datur, quando opera justitiæ Scriptura significat. Apud Fernandium in Gen. 1. lect. 1.

*Habentes singuli citharas.* Apoc. 5. 8. Citharæ, quæ pulsibus manuum suaviter sonant, apte opera bona figurant; quæ suis effectibus, quasi quibusdam sonis, proximos ad cœlestem patriam excitant, & invitant. Rich. à S. Vict. l. 2. c. 3. hic.

#### 2. Gressus ambulatio.

Nostrum ambulare, est bene operari. S. Bonavent. l. 129.

In hac vita, ubi per fidem bene vivendo proficimus, bonorum operum quodammodo passibus ambulamus. S. Prosper l. 1. de vita contempl. Sacerd. c. 1.

Passus eundi ad paradysum sunt bona opera. Si orâstis hodie, jam fecistis unum passum; alium, si dedistis elemosynam; alium, si audivistis Missam. *Ibunt de virtute in virtutem.* Pf. 83. 8. S. Vincent. Ferrer. l. 4. D. 3. post Octav. Pasch.

#### 3. Fructus.

*Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum &c.* Gen. 1. 11. Quia hoc dignius est aliis non pomiferis. Sic hominum vera laus non à nobilitate, divitiis, dignitate scientiâ: eloquentiâ; sed à fructibus bonorum operum. Sicut illæ arbores fructifera. Judic.

9.9.